



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BOBODIULASSENSIS** * NOVA IN BURKINA FASO PROVINCIA ECCLESIASTICA CONDITUR, BOBODIULASSENSIS APPELLANDA, QUAE AD DIGNITATEM ARCHIEPISCOPALEM ET METROPOLITANAM EVEHITUR. Afrorum ecclesiales communitates vigere iam laetantes cernimus atque ut eae usque volumus floreant et Christi salutem omnibus exhibeant. Nunc fideles, qui in Burkina Faso sunt, ob oculos versantur, ad quorum salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. Itaque quorum interest cognitis suffragiis, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra usi potestate, distractis dioecesibus Bobodiulassensi, Banforensi, Deduguensi, Diebuguensi et Kunensi a Sede metropolitana ragaduguensi, novam Provinciam ecclesiasticam condimus *Bobodiulassensem* appellandam eamque in principali Sede Bobodiulassensi locandam. Ipsa denique ad Archidioecesis metropolitanae dignitatem evehetur, cui nectentur dioeceses Banforensis, Deduguensis, Diebuguensis et Nunensis, veluti suffraganeae Sedes. Renuntiamus exinde Venerabilem Fratrem Anselmum Titianma Sanon, hactenus Episcopum Bobodiulassensem, Archiepiscopum Metropolitanam Bobodiulassensem. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Marium Zenari deputamus, Archiepiscopum titulo Iuliensem, atque in Burkina Faso Apostolicum Nuntium, facta videlicet facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae. apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Decembris anno Domini bis millesimo, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 4, p. 195 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana